





~~4,000~~ 1784, 3

15

265

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PACTO REMISSORIO**  
QVOAD  
CREDITOREM NON CONSENTIENTEM

AD  
*Art. 13. Tit. I. Lib. 3. Statut. Lubecensf.*

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO AVGVSTO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE,  
GVESTIPHALLAE ETC.

AUCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE  
CONSEQVENDIS  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
D. X. APR. MDCCCLXXXIIII.

SVBICIET  
PAVLVS CHRISTIANVS NICOLAVS LEMBKE  
LVBECENSIS.

IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSIANA.



DSSERTATIO IN ANSV. N. S. I. R. I. D. I. C. A.  
DE  
PACTO REMISSORIO

OV. D.  
CREDITOREM NON CONSENTIENTEM

AD  
AN. 13. M. I. L. I. B. 3. S. M. I. L. I. C. O. S. I. C. I. T. A. T. I. O. N. I. S.

RECTOR ACAD. MAG. MAG. I. N. S. P. E. C. T. I. S. S. I. M. O.  
P. R. I. N. C. I. P. I. S. A. C. D. O. M. I. N. O.  
D. O. M. I. N. O.

CAROLO AVGVSTO  
D. C. S. P. A. R. O. N. I. S. S. A. L. E. S. I. E. T. I. A. E. M. O. N. A. C. H. I. A. E.  
G. O. V. E. R. N. A. T. I. V. S.

A. C. T. O. R. I. T. A. T. E. I. L. L. V. S. T. R. I. S. I. R. E. C. O. N. S. V. L. T. O. R. V. M. O. R. D. I. N. I. S.  
P. R. O. S. V. M. I. S. I. N. V. T. R. O. V. E. I. V. R. E. H. O. N. O. R. I. V. S. I. T. E.  
C. O. N. S. E. Q. V. E. N. D. I. S.

P. L. A. C. I. D. O. E. R. V. D. I. T. O. R. V. M. E. X. A. M. I. N. I.  
D. X. A. T. E. C. I. S. C. I. C. C. E. X. X. I. I. I. I.

P. A. B. L. I. C. I. T. A. T. I. O.  
AVGVSTVS CHRISTIANVS NICOLAVS LEMBEKE

L E N A E  
P. O. F. F. I. C. I. N. A. T. R. A. V. S. S. I. A. N. A.



DOMINO  
DOMINO GABRIELI  
CHRISTIANO LEMCKIO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CONSVLTISSIMO  
COMITI PALATINO CAESAREO DIGNISSIMO  
SENATORI REIPUBLICAE LVBECENSIS  
LONGE MERITISSIMO

DOMINO  
DOMINO NICOLAO  
IACOBO KEVSCHIO

MERCATORI CELEBERRIMO COLLEGIO CIVIVM  
QVOD SCHÜTTING APPELLATVR SENIORI  
DIGNISSIMO

PATRI MEO DILECTISSIMO

D O M I N O H A N C

DOMINO GABRIELI  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

IN RITVS DOCTORI CONSULTISSIMO  
D. D. D.  
COMITI PALATINO CAESAREO DIGNISSIMO

LONGE MERITISSIMO

DOMINO  
DOMINO NICOLAO  
IACOBO KEVRSCHIO

MERCATORI CELEBRISSIMO COLLEGIO CIVIVM  
QVOD SCHÜTTING APPELLATV SENIORI  
DIGNISSIMO

PAVLVS CHRISTIANVS NICOLAVS LEMBKE.



# CONSPECTVS

## INTROITVS

- §. 1. *Laus Iuris Lubecensis in seruanda fide paciſcentium.*
- §. 2. *Pacta regulariter non tenent niſi auctores.*
- §. 3. *A qua tamen regula deſleſcit pactum remiſſorium maioris partis ſecundum leges romanas, de cuius*
- §. 4. *diſceptatur fundamento, et oſtenditur illud*
- §. 5. *generaliter fuiſſe introductum, quod confirmatur*
- §. 6. *per ſententias pragmaticorum.*
- §. 7. *Transitus ad S. S. ſequentes.*
- §. 8. *Quinam hoc loco pro creditoribus ſint habendi?*
- §. 9. *Quisnam eorum ſit maior numerus?*
- §. 10. *De inſufficientia bonorum, quam debitor demonſtrare tenetur.*
- §. 11. *Pactum remiſſorium maioris partis, iudicialiter eſt in-  
cundum.*
- §. 12. *Creditores, qui volentes indulſerunt remiſſionem, nun-  
quam reſtauum petere poſſunt, quod nequidem licet,*
- §. 13. *creditoribus, qui majori numero ſuperati, remiſerunt par-  
tem crediti.*

CONSPECTVS INTROITVS.

- §. 14. Mutatio Iuris Lubecensis circa pactum remissorium.  
§. 15. Scriptores, qui hunc pactum iuris statuarii illustrarunt.  
§. 16. De quibus creditoribus verba statuti sint intelligenda?  
§. 17. Ad dolosum creditorem plane non pertinent.  
§. 18. Quomodo fraudibus ac dolo occurri possit.  
§. 19. Statutum ad creditores et debitores mercatores restringi  
haud debet,  
§. 20. et perinde est, quo tempore proponatur pactum remisso-  
rium.  
§. 21. Dissensu quorundam creditorum reliqui non impediuntur.  
§. 22. An creditor, qui pacto remissorio non accessit, solutionem  
urgere possit, ex his, quae a reliquis remissa sunt?  
§. 23. continuatio.  
§. 24. Ius Lubecense reliqua iuris beneficia debitori indulta  
non abrogauit.  
§. 25. Convenientia iuris Lubecensis cum aliis iuribus particu-  
laribus.






## INTROITVS.




Cum ad specimen inaugurale conscribendum animum adjiciens, de themate quodam iuridico cogitarem; optime mihi prae caeteris illi operam ponere videbantur, qui in elaborationes academicas eas deducerent causas, quarum tractatione ad illustranda iura patria, quantumcumque sit, contulisse viderentur.

Postquam igitur aliquamdiu haesitasset, placuit mihi argumentum articuli XIII. Tit. I. Libr. III. iuris lubecensis, qui de effectu pacti remissorii quoad creditorem non consentientem acturus, regulam praescribit longe quidem diuersam  
ab



ab ea, quae in iure romano continetur, sed simplicitati et aequitati iuris naturalis magis conformem atque accommodatam magis prudentiae legislatoriae, quae in promouendis commerciis ciuilibus sapienter est occupata.

Non vero animus fuit in scribendis sequentibus pagellis, tractatum multo acumine, multaue conscriptum eruditione exhibere, quod nemo quidem iure a me postulabit; sed Leges ordinis Illustris *Istorum* obseruaturus, necessitate quadam adstrictus fui, ad edendum specimen inaugurale, quo de viribus meis aliquo modo iudicari possit. Neque tanta me tenet eruditionis fiducia, neque meditationes meae qualescunque in eum mihi placent modum, vt crederem, alios lectione earum doctiores et eruditiores esse discessuros; sed gratulabor potius mihimet ipse, si cognouerim, eos Viros doctos, ad quorum notitiam non potest non venire hic ce libellus, benigniter de studiis meis sentientes, eum mediocriter aut saltem diligenter, quantum a me fieri potuit, esse scriptum atque elaboratum, iudicare.



DISSER.

DISSERTATIO  
DE  
PACTO REMISSORIO QVOAD CREDITOREM  
NON CONSENTIENTEM.

§. I.

**A** pud omnes, qui Iuri Lubecensi illustrando operam nauarunt, quorum ob rei grauitatem atque ob summam ejus utilitatem haud exiguus deprehenditur numerus, constare credo, est enim res apertissima, eam laudem illi non posse negari, quod summa prudentia legislatoria summaque diligentia de medijs constituerit, quibus sinceritas vna cum fide inter ciues sancte seruari, et praecipue commercia, quibus *Lubeca* semper fuit feliciter occupata, prouehi possint atque augeri.

Quamuis igitur equidem pium animum, quo patriam et omnia, quae ad eam pertinent, semper sum prosequutus, nunquam deponerem, tamen in re tam certissima ac nulli dubitationis aleae subiecta noluerim ejus praeco existere, sed potius ablegandos cenfeo ad inspectionem legum patriarum, qui de veritate dictorum haud plane conuicti sunt <sup>a</sup>).

Eadem

<sup>a</sup>) Inter multa alia, vt exemplis rem illustrem, huc pertinet Lib. 3. T. 1. art. 1. qui breuissimum spatium praefigit executioni debiti liquidi; Lib. 3. Tit. 1. art. 4. quo creditori, qui debitorem fugientem reducit, aut bona ejus seruare studet, praerogatiua tribuuntur, prae alijs creditoribus; nec non art. 10. ejusdem Tituli, quo vxor iubetur soluere aes alienum a marito contractum; Vid. G. H. AYRES. *de debitore obaerato ejusque vidua seu vxore se seruante per beneficium renunciationis pactorum nuptialium.* Goetting. 1766.

A

Eadem prudentia legislatoria originem dedit articulo XIII. Lib. 3. Tit. 1. Iuris Lubecensis, ex cuius argumento quilibet rerum arbiter luculentissime animaduertit, cum utilitate et aequitate etiam longe antecellere ius romanum, ad quod abrogandum sapienter olim legibus patriis insertus fuit. Verba ejus, quae haud immutata exhibeo, ita sese habent:

*Würde einer in Schulden vertieft mit seinen Creditoren sich vergleichen, und etliche der Creditoren darinn nicht begriffen seyn wollten, so sehet denselben frey, den Schuldner mit Rechte zu verfolgen.*

Sed antequam ad illustrationem hujus articuli aliquid conferre, ejusque disconuenientiam cum iure communi ostendere queam, necesse erit ex Quiritum constitutionibus breuiter ea praemittere, quae huc facere videntur, ac sine quibus intelligi nequit, quod de aequitate iuris patrii deinde erit disputandum.

§. 2.

Vim pactorum omnem, eorumque omnes effectus, ex consensu, quo plures circa idem objectum conueniunt, assumari et deriuari oportere, tam luculenter patet, vt nulla demonstratione nullisque argumentis in ista re opus esse videatur. Vnde iam praecepta iuris naturalis, quod, quoties fieri potest, in ius ciuile est transferendum, iubent, vt praeter paciscentes nemo, neque commodis pacti fruatur, neque ex incommodis ejus vllam accipiat molestiam.

Principii hujus tanta est aequitas, vt conditores iuris ciuilis regulam inde ortam stabiliendam et confirmandam censuerint. Prostat eam in rem PAVLLI ICI suo tempore doctrina et scriptis clarissimi clarum in L. 27. §. 4. ff. de pactis. Ante omnia inquit, animaduertendum est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliaue persona noceat.

cear. Idem nec minus papalibus constitutionibus repetitum legitur cap. 8. X. de transact. *Ne pacta inter alios acta, aliis obesse patiamur.* Vsque adeo autem verum est, alterum alteri paciscendo nocere haud posse, vt nequidem tunc aliud statuumdum sit, cum secundum nouioris iuris constitutiones, pacitionibus alteri prodesse possumus b).

Quoties igitur obligatio ex conuentione nata aduersus tertium adlegatur, neque actor repulsam ferre malit, necesse ipsi est, vt vel ratihabitionem ostendat, vel consensum tertii probare possit, quo hic antecederet ad istam conuentionem concurrir c).

§. 3.

Sed praeter actiones, quae ex consensu, quo quis ad alterius pacitionem concurrir, oriuntur et quae ob hanc rationem, exceptionem ab ista regula minime constituunt, speciale pactum leges romanae proposuerunt, cuius vis obligandi praeter paciscentes, tertium haud consentientem immo dissentientem tam absolute tenet eamque imponit necessitatem, vt inuitus aliorum voluntati se conformare necessum habeat; et tanti habuerunt Quirites, vt illud ex ipsa aequitate deriuari posse, sibi persuasum habuerint.

Concernit haec singularitas pactum remissorium seu liberatorium, quod plures creditores cum debitore obaerato iniuerunt, et circa quod constitutum est, vt minor numerus creditorum effectu

b) Idem fere aliis quam multis legibus est constitutum. c. gr. L. 3. pr. ff. de transactionib. L. 1. C. inter alios acta. L. 74. ff. de Regul. Iur. c. 29. de Regul. Iur. in 6.

c) Casus huc pertinentes speciali Dissertatione examinat SLEVOGT de conuentionibus, quae tertio nocent. et quilibet etiam me non monente animaduertet, magna ex parte huc pertinere actiones, quae sub nomine *adjectivae qualitatis* notae sunt.

fectum ejus teneatur, quod maiori parti aequum est visum d). Ita enim ULPIANVS aemulus illius PAVLLI loquitur in L. 17. §. 19. ff. de Pactis. *Hodie tamen ita demum pactio hujusmodi creditoribus obest, si conuenerint in unum, et communi consensu declarauerint, quota parte debiti contenti sint. Si vero dissentiunt, tum praetoris partes necessariae sunt, qui decreto suo SEQUETUR MAIORIS PARTIS VOLUNTATEM e).* Pactum igitur illud, de cujus quoad non consentientem plane singulari effectu nunc est disputandum, sic conor describere: quod fit *conuentio inter debitorem communem ejusque creditores, qua hi parte debiti quota se contentos fore declarant.* Si omnes, qui adsunt, creditores consentiunt et circa quaestionem an danda remissio et quantum sit remittendum, vix dubitari potest, an valida sit ea pactio. Quid enim iniquitatis aut iniustitiae in eo lateat, equidem animaduertere non possum; ergo singularitas manet intuitu hujus pacti, si adsunt, qui in quanto remissionis vel in re ipsa dissentiunt, nihilominus autem ex legis necessitate illud agnoscere coguntur.

## §. 4.

Cum pacti hujus quoad dissidentes creditores effectus, non solum a tramite iuris naturalis et legum analogia romanarum deflectat, sed etiam a suspitione iniquitatis vix liberari posse videatur,

- d) Vocatur id pactum a nonnullis *praedictiale*, quia in praedictium alterius ac non consentientis tendit. Satis profuse ejus naturam ac indolem explanauit W. A. LAVTERBACH in Dissert. *Pactum praedictiale remissionum majoris partis creditorum* a 1667. (in Diss. ejus Vol. 1. Nr. 60. p. 935. sq.) Pertinet huc etiam O. LENNÉP de pacto, quod vocatur *praedictiale Marburgi* 1745.
- e) Quamuis ex ULPIANI scriptis haec lex ad nos peruenerit, tamen apud viros doctos nondum constat, quo tempore lata sit ea constitutio. Videas hac de re LAVTERBACH l. c. §. 6. et P. MULLER in notis ad Seruonii *Synagma Iur. Civ. exercit.* 60. thes. 50. lit. o.

tur, operae pretium erit, in rationes inquirere, quibus moti veteres Icti male quidem philosophantes, tamen excusari possunt.

Duplex fundamentum auctori relatæ constitutionis, quicumque fuerit, ante oculos fuisse tam fortiter, equidem crediderim, ut his tantum fundamentis indulgens de incommodis dictæ constitutionis deque insufficientia rationum suarum minus cogitauerit.


Primo itaque, vix melius remedium excogitari potest, quo debitori obaerato et iniuriis fortunæ presso succurratur, quam adigere inuitos etiam creditores ad remissionem dandam, quoties majori numero liberit; sic enim ille restaurandi opes collabefactas atque euitandi omnes molestias, optimam nanciscitur occasionem. Nemo autem ignorare potest, in quem modum innocentet oppressis iura nostra generatim subuenire voluerint f).

Deinde iniquitatis notam incurrere videbatur, qui in communi periculo, quod pluribus vnus debitoris ad incitas redacti creditoribus non potest non minari, se obstinare et intempestiuam duritiæ, votis reliquorum, qui numero eum longe superant, renuere vellent. Hoc ergo intolerabile visum et ob eam rationem, eorum, qui partem bonorum seruare quam omnia perdere maluerunt, placitum seruari, constitutum est.

§. 5.

Non possum equidem a me impetrare, ut rationes, quas adducere annis sum, sufficientes et tam vigentes esse crediderim, quæ legislatorem mouere debuissent, ad legem subditis obrudendam, qua libertas de rebus suis disponendi, tam grauitè restrindam, immo ius quaesitum, quod et principi sanctum esse debuit, eripitur atque interuertitur. A 3

f) Hoc fundamentum vrget A. VIENNIVS in tractatu de pactis c. 17.



ritati boni viri magis conforme, mittere defensionem causae, quae ex omni parte defendi nequit, ac confiteri eam esse malam, quam hoc negare, eamque esse bonam inficari velle? In istud vitium illi incidere mihi videntur, qui contra apertam iuris romani intentionem vim pacti praecudicialis exorbitantem ad casus speciales restringere, in reliquis vero iuri communi, secundum quod inuitus ad paciscendum haud cogitur, insistere minime dubitarunt. Semper fuit ista quorundam opinio, qui omnem mouerunt lapidem, vt argumentis sexcentis exscriptis demonstrare possent, necessitatem quoad creditores dissentientes in eo pacto, vltra quosdam casus determinatos, et quorum vnicuique sua stat ratio, non esse extendendam g).

Audiamus igitur, quibus restrictionibus iustitiam legum romanarum defendere allaborent. Contendunt enim, pactum remissorium tertium obligare ad idem remittendum non nisi in tribus casibus. 1) Quoties creditores hereditarii ante aditam hereditatem cum herede deliberante paciscuntur, sic vt hic sub ea tantum conditione eam adire alias vero repudiare velit. 2) Si major creditorum pars, debitori aufugienti et reditum, nisi pars quota remittatur, detrectanti, remissionem indulgere cupit. 3) Quando debitor obaeratus ad beneficium cessionis bonorum confugere paratus est, nisi aliquid sibi remittatur.

Sed haec vel ideo adplausum non merentur, quia inspectio legis 17. ff. de pactis quemlibet docebit, exempla, quae afferuntur, non restrictionis sed explicationis causa fuisse posita; et, quod magis omnem tollere potest dubitationem, generalis ad-

dita

g) Inclinant in hanc sententiam WEREMBERG *Diff. pactum remissorium in concursu creditorum non esse iuris romani. Hal. 1729.*  
 TITIVS in iure priuato Lib. 10. c. 8. §. 17.  
 SIM. V. LEEVWEN in censura forens. Lib. 4. c. 45. n. 4. 5.



dicta est decisio, quam legislator non addidisset, sed moderasset, si eam ad exempla pauca restringere animus fuisset b).

§. 6.

Haec sunt, quae de generali hujus pacti valore per transitum ex principiis theoreticis monere volui, et quae longius persequi non est nostri loci. Quod praxin attinet, tota fere colioris Ictorum forensium, vno quasi ore fatetur, creditores generaliter ex pacto liberatorio teneri, licet sint, qui refragentur et aequam debitori remissionem nolint indulgere, modo numero ac pondere hi ab illis superentur i). Quamvis ergo aduersariis daremus, quod dari non potest, sanctionem iuris romani olim fuisse particularem, tamen constat, eam apud nos generaliter esse in usum deductam, et, quia ius peregrinum ex sola receptione nos obligat, illud sic in foris esse adplicandum, vti a majori parte Ictorum semper est intellectum. inque rerum argumentis adhibitum.

§. 7.

Licet a me expectari non possit, vt omnia, quae de natura et requisitis essentialibus hujus pacti dici poterant, adcurate atque singulatim exponerem, quia id a proposito meo foret alienum, et longe ante me a quam plurimis ex instituto factum est, ad quorum

b) Sufficiat instar omnium, qui rectam hujus pacti interpretationem ingressi sunt, allegasse. I. H. BOEHMER. in *Dist. de pacto remissorio modo concursu* (in exercitat. ad ff. T. v. no 89.) §. 4. et LAVTERBACH l. c. §. 9.

i) BERLICH in *decisionib. Pars. 2. dec. 225.*

BRUNNEMANN ad *Leg. 7. ff. de pactis nr. 3. 4. 5.*

S. STRYCK in *Vsu mod. Pandectar. Tit. de pactis §. II.*

DE CANEGLESSEER in *Decisionib. Cassellanis T. 2. decis. 173.*

no. 16. 17.



rum scripta cupidos lectores ablegandos puto *k*); tamen ea tangenda sunt istius pacti remissorii capita, quae ad explicationem articuli, juris Lubecensis, quem mihi met. illustrandum sumsi, utramque faciunt paginam.

## §. 8.


Cum pactum praecjudiciale dissentientes creditores haud aliter teneat, quam si a majori parte initum fuerit, ante omnia definiendum est, quinam hoc loco nominentur creditores, et quis major eorum numerus esse censeatur?

Primae quaestionis haud obscuram decisionem L. 10. ff. de Pactis continet, in qua remissive monetur, neque hypothecariis noceri, neque eos aliis nocere posse, qui potius contenti esse debeant exercitio iuris realis, quo gaudent. Inde a minori ad majus recte concluditur; neque eos esse computandos, qui orto concursu, res suas vindicant et iure separationis collocari optant *l*). Pater hoc ex natura rei ipsius, et pater ex analogia tot legum, quae iura domini facta testaque esse iubent. Ratio enim vis exorbitantis, quae huic pacto propria est, quod nempe iniquum sit, majorem numerum creditorum impedire, si partem crediti servare quam totum perdere malit, cessat in creditoribus hypothecariis, et exulat quoque in dominis, qui rem ipsam legitimis actionibus persequi, a nemine impediri possunt.

Intelliguntur ergo soli chirographarii, inter quos vero non est distinguendum, an privilegiarii sint nec ne, partim quia in omnibus eadem obtinet ratio, partim quia L. 10. *allegata* diserte iubet,

*k*) Inprimis satisfaciet LAVTERBACHII Diss. saepius laudata, quae permulta eruditione, ac solida iuris romani cognitione est conscripta.

*l*) V. PUFFENDORF in *observationibus iuris uniuersae* Tom. 2. obs. 164. §. 1.

 9

iubet, et fiscum in casibus, ubi hypothecam non habet, et ceteros privilegiarios, exemplum creditorum sequi oportere *m*).

§. 9.

Alterum vero momentum, quis sit maior numerus creditorum, decidit *L. 8. ff. de pactis*; maiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum, placuit. Hoc autem ita demum intelligendum est, si in cumulo debiti haud sunt aequales; nam dubitari nequit, tres creditores, qui conjunctim duo millia pedebant, esse praefereandos duobus creditoribus, quibus nec major tunc, esse praefereendum est, numerari haud oportere nisi debita liquida *n*). A re non erit alienum, oculis lectorum speciales objicere casus, qui aliquando oriri possunt.

Primo itaque quaeri potest, qua ratione sit procedendum, si numerus creditorum et quantitas debiti prorsus reperiuntur esse aequales? Tunc secundum *L. 8. alleg. Praetor* sequetur auctoritatem ejus, qui dignitate inter eos praecellit.

Sed foris nostris, in quibus digniores et potentiores praeter alios nulla praerogativa nulloque gaudent favore, minus convenit ista decisio; et potius putaverim, in ejusmodi casu esse praefendam aequiorem sententiam, id est pronunciari debere pro parvo remissorio. Nam nulla ratione decidendi hodie parum idonea

*m*) Quatenus privilegii teneantur ex reliquorum passionibus, et num ipsi sint connumerandi? disputari solet. Interim qui id negant, admodum inbecillibus rationibus moventur. VOETIVS in commentar. ad *Pandect. tit. de pactis §. 29.* BERLICH in *decisio. nib. P. 2. dec. 241.* de sententia affirmativa consulas BRUNNEMANN in commentario ad *ff. ad L. 8. de pactis.* et de GANNEGISSER in *Decisionib. Cassellan. P. 2. dec. 172. n. 10. et P. 2. dec. 287. per tot.*

*n*) I. H. BOEHMER *l. cit. §. 11.*

B



nea nec Romani aliter decernere potuissent. Id vero in hac re etiam sciri oportet, non simpliciter esse respiciendum ad capita creditorum, sed actionem et naturam obligationis, ex qua plures agunt creditores, magnam constituisse differentiam. Plures enim personae, quae vnā eandemque habent actionem. e. gr. tanquam rei stipulandi, non nisi *unicam* repraesentare possunt personam *o*).

Deinde disputari solet, quid statuendum sit, si vel omnes vel plures creditores conueniant quidem in remissione concedenda, dissentiant autem in quanto remittendo?

Alii tunc quoque sententiam aequiorem praefereendam opinantur, quo fiet, ut maior quantitas remittatur, et debitori, quantum fieri potest, subueniatur *p*). Sed magis fundata est contrarium statuentium argumentatio, tunc nil actum fuisse et omni efficacia destitui pactum remissorium imperfectum *q*). Nam 1) haud adest illud factum, quod tanquam conditio sine qua non, in *L. 7. §. 19. de Pactis*, proponebatur: *si conueniant in unum*; quae verba absque omni dubio, de quantitate remissa non minus quam de remissione ipsa erunt intelligenda. 2) Aduersarii a diuersis ad diuersa argumentari videntur. Desumunt nempe fundamentum conclusionis suae ab analogia ejus, quod in dissenso iudicum pedaneorum, in causis iudicialiter tractatis leges statuerunt; cum tamen ratio ejus hic nullo modo adplicari possit. In sententia enim nec vlla remanere debet incertitudo, quippe quae alia via reparari non potest. Haec difficultas vero nostrum casum minime tan-

*o*) *L. 9. ff. de Pactis.*

*L. 2. 3. ff. de duobus reis.*

*D. MEVVS in discussione leuam, inop. debitor. c. 3. n. 103.*

*p*) *V. HVBER in praelectionib. ad Pand. ad tit. de cessione bonorum §. 5.*

*G. LENNEP l. cit. §. 13.*

*q*) *SIM. V. LEEVWEN in Censura forens. Lib. 4. c. 45. nr. 7.*

git: sed quoties pactum remissorium, ob dissentium in quantitate indulgentia imperfectum manet, quilibet creditor pro lubitu suo persequi potest, quod ipsi debetur r).

## §. 10.

Neque vero putandum est, quasi sola majoris partis voluntas sufficeret, ad cogendam minorem, ut illius voluntatem in re tam ardua agnosceret, sed, quia, secundum §. quartam huius commentationis, ratio pacti praeiudicialis in privilegio speciali, quod non datur doloso ac fraudulenter agenti, aequum erit, ab eo, qui ad istud beneficium confugere cupit, demonstrationem exigere, qui se neque ob malam bonorum administrationem, neque ob vitam 1) se neque ob malam bonorum administrationem, neque ob vitam 2) adigendus est, ad specificationem passivorum et activorum fideliter exhibendam, quo constare possit, an bona sufficiant nec ne? Turpe enim et exemplo pessimum foret, si quis hac ratione lucrum facere et bonis suis ex aliorum naufragio incrementum adjicere vellet.

In hac insufficientiae demonstratione, non tantum ad bona debitoris praesentia respiciendum est, sed et futura, quae aliquando certissime est habiturus, in computum venire debent. Neque solum huc veniunt substantiae rerum suarum, sed et fructus, quos

B 2

ex

r) Caeterum, an adsit major creditorum numerus, nec ne? aliter fieri non potest, quam si absentes legitime citentur; quod elegantius probavit.

F. MULLER in notis ad Struv. exercit. 6. not. 6. nr. 6. 7. p. 324. 325.

Interim Practici moderni conveniunt, sufficere absentes consensus suum vel dissentium legitime declarasse:

DECISIONES CASSELLAN. T. 2. dec. 172. nr. 19.

FRATrum BECMANNORVM consilia et responsa P. I. decis. 18. nr. 3. pag. 271.



ex feudo et re usufructuaria ipse percipere potest. Praestat enim creditori, integram accipere solutionem, licet non nisi temporis decursu accedente fieri possit, quam parte crediti statim carere.

## §. 11.

Notandum quoque est, ad omnes fraudes evitandas, quarum a malevolis hominibus quotidie novae inveniuntur, pactum re-missorium majoris partis, ita demum obstringere non consentientes, si judicialiter fuerit initum.

Hoc non solum ex natura rei ipsius luculenter patet, quia nisi iudicis interueniente auctoritate, definiti potest, an adsint vota majora; anque res legitime ad omnium peruenierit notitiam, porro in quam summam conuenerint et quae sunt reliqua, sed etiam ex verbis *Legis 7. §. 19.* saepius allegatae, haud difficilem idem defendi potest. *VERINIANVS* enim, praetoris inquit, *partes tunc erunt necessariae qui decreto suo sequetur majoris partis voluntatem* s). Suadendum igitur est debitori obaerato, quando se fore admissum ad illud beneficium sperare potest, ut omnes creditores judicialiter citari curet, exhibitoque bonorum suorum statu, eas proponet rationes, quibus major pars, si omnes moueri non possunt, aures beneuolas praebat, cujus voluntatem tunc reliqui in-  
niti amplecti tenebuntur.

## §. 12.

Hac occasione omitti non potest quaestio iuris controterii, quae in foro non minus famosa est, ac in libris Ictorum, an nempe, ubi debitor ad lautiorem peruenierit fortunam, pars debiti olim remissa adhuc peti possit, an vero quod semel remissum, semper

\*) *Fravrum. RECMANNORVM consilia et responsa. P. I. decis. 18. bro, 8.*

semper remissum censeatur? Hanc quaestionem duo membra continentem diuidendam puto.

Primo igitur sermo esse potest, de illis creditoribus, quorum voluntate remissio debitori est indulta. Tunc autem nemo facile dubitabit, eos, qui semel dederunt, non posse illud reuocare, sed agentibus obtinere exceptionem pacti liberatorii, immo doli, qua a limine iudicii semper erunt repellendi *e*). Non nisi turpissimum hominum genus, hac ratione fidem fallere et contra facta propria venire potest.

§. 13.

Secundo autem dispendendum est, num forsan dissentientes creditores, qui numero reliquorum vincebantur, reliquam partem hoc casu exigere possint? Quamuis hacc quaestio ex verbis *legis* 7. §. 19. *citat.* non tam aperte decidi possit, tamen et eam negandam in me susceperim. Constat enim, necessitatem parti dissentienti fuisse impositam, id in sua agnoscere persona, quod maior pars pro se agnoscere, vtile putauit. Hoc autem fieri non potest, si daretur facultas olim repetendi quantitatem remissam, quae secundum §. antecedentem, consentientibus erat denegata. Leges voluerunt, vt iura sint paria, ejus qui ab initio consentit in pactum remissorium, et ejus, qui non nisi superatus a majori numero, huic conuentioni se subtrahere haud potuit.

Accedit quod interueniente pacto remissorio, debitum habeatur extinctum et omnes cessent ejus effectus, sic vt nequidem fidejussores possint conueniri *v*).

Vnica tantum ab aequitate commendatur hujus regulae exceptio; quoties creditores dolo debitoris inducti fuerint, ad tale pactum

B 3

pactum

*e*) L. I. pr. L. 7. §. 18. L. 46. ff. de pactis

*v*) L. 41. ff. de pactis.

pañum inenndum. Re enim comperta impediri non debent, quominus per actionem veterem remissam partem exigant; et debitor maleuolus, si non erubesceret exceptione vti pañi liberatori, non euitaret replicam doli, qua ista exceptio ab actore elideretur x).

Multo minus adplausum meretur antiquiorum praesertim Iulorum opinio, qui partem debiti remissam per conditionem ex turpi causa repeti posse, docuerunt y). Frustra enim quaeres fundamentum ejus remedii, quod in turpitudine ex parte accipientis versatur. Nam honestissime agit debitor infortunio defatigatus, qui oblatas sibi condiciones et aliqualem remissionem ea mente acceptauit, vt reliquam partem soluere et aere alieno se liberare possit.

## §. 14

Sufficiant haec, quae de vera indole pañi remissorii majoris partis, ex legibus Romanorum proposui. In omnia alia *Ius Lubecense* abiit, quod analogiam iuris fidelitiae aequitati, et ius quaesitum pacifcentis fauori alterius praeferebat sapienter constituit, et quod omnes similiter tangit, ab omnibus et singulis comprobatur z). Sic necessitas omnis et coactio sublatae sunt, quibus apud Romanos adigebantur creditores, ad amplectendam sententiam, quae majori numero placuerat, atque sine vilo discrimine cuique creditori, qui nil remittere voluit, ius suum legitimis remediis perse-

x) Prosequuntur hoc argumentum LAYTERBACH l. cit. §. 50. P. MULLER ad Struv. exercit. 6. p. 326.

BRUNNEMANN ad L. 8. et IO. ff. de pañis nr. 16. 17.

VOETIUS in commentar. ad Pand. tit. de pañis §. 28. quamuis in decisionibus suis non omnes conueniant.

y) quos videlicet apud D. MEVIUM in commentar. ad *Ius Lubecense* L. 3. lit. 1. art. 13. n. 4. 5

z) Sunt verba Leg. 5. circa fin. C. de auctoritate praestanda, quibus Iustinianus alia quidem vtitur occasione, sed quae mutationis in iure patrio factae rationes quam optime subducunt.



qui permittitur. Debetur haec mutatio salutatis, articulo iuris patrii, cujus verba iam supra laudavi in §. 1. hujus Dissertationis, et quae breuitatis studio reperere nolo. Sunt illa verba ita clara atque perspicua, vt circa sensum eorum generalem nemini facile oriri possit dubitatio. Quis enim non statim animaduertet restitutum arbitrium pro lubito suo paciscendi in illis latens? et quis non gaudebit, rem ad libertatem naturalem esse reductam, qua nemo suis passionibus, suisque remissionibus alteri potest praeiudicium inferre? Aequitas hujus statuti tanta est, vt, licet per longa temporis intervalla, quae ab ejus origine ad nostrum vsque aeternum intercessere, variae mutationes in aliis articulis et capitibus sint factae per leges patriae nouiores, tamen hic articulus ab omni immutatione ac abrogatione liber manserit et in splendore suo seruat.

§. 15.

Quae cum ita sint, non satis mirari possum, quomodo fieri potuit, vt nemo eorum, qui iuris Lubecensis a iure romano differentias tradidere, et quorum non est exiguus numerus, ne tetigerint quidem hanc differentiam, quae non solum est certissima, sed etiam ob grauitatem ejus, vberiori elaboratione digna videtur a).

Praeter ea, quae habet D. MEYVS, fidissimus ille iuris patrii commentator b), et pauca quae Celeberrim. STEIN c), pertransi-

a) Sic v. gr. frustra adhibis ANDR. BILLERBECKI iuris lubecensis a communi Rom. Germ. iure differentias, noua eaque luculenta serie digestas Giess. 1672.

s. STRYK. de iure Lubecensi ad methodum institution. adjunctis iuris communis differentiis Francof. 1674.

b) In commentariis ad Ius Lubecens. ad Lib. III. T. I. art. 13.

a) In der Einleitung zum Lübschen Rechts §. 220.

IDEM. In der Abhandl. der Lübschen Rechts Part. 3. §. 34. 35.



transitum ea de re monuit, vix inuenis, quae ad adcuratiorem intelligentiam articuli facere possunt. Haec sterilitas, quae non potest non unicuique statim in oculos incurrere, me forsitan excusabit, qui periculum feci, pro modulo ingenii exigui et pro viribus meis, quamquam sint leues, pauca addere, quae spicilegii loco considerari possunt.

## §. 16.

Itaque fundamenti loco monendum est, veram rationem statuti esse quidem, *odium* debitorum, quod merito ii incurrunt, qui fidem fallere et sic commerciis obesse haud erubuerunt, nec non *favorem* creditoris, qui minime cogi poterat, vt inuitus parte careat ejus, quod bona fide et nil mali suspicatus dedit; sed neque omnem in adplicatione statuti excludendam acquitatem, neque rationes allatas eo esse extendendas, vt mos geratur cuique obstinato creditori ac lapide duriori, qui nil magis in votis habet, quam vt quouis modo reliquos creditores vexare et commodis excludere possit, quibus fruarentur, per pactum remissorium, intuitu partis quotae initum.

Statutum enim, quod ex sola acqutate proficiscitur, ex eadem acqutate admittit interpretationem; atque haec non sinit, aliquem ex inuidia mera aut maligna cupiditate ductum, alterius inhiare bonis. Confirmantur haec asserta per decretum SENATVS AMPLISSIMI LVBECENSIS, cujus verba *Celebern. STEIN* tradidit atque ita se habent d). *Wenn derowegen ein Creditor chirographarius, dolose und ex malitia quadam nicht wollte mit den privilegirten Creditoren einstimmen, und dem Schuldner einen Accord zugestehen, sondern er wollte vielmehr den Schuldner nach Freystellung art. 13. Lib. 3. Tit. 1. mit Recht verfolgen, bloß um den privilegirten Gläubigern Verdruß zu verursachen, so ist demselben solches nicht zu gestatten.*

d) Abhandl. des Lübis. Rechts. P. 3. pag. 37. Exce-

Exceptio haec, quae intuitu creditoris dolosi a regula statuti ob aequitatem est facienda, eo minus alicui displicebit, quo magis analogiae iuris in similibus articulis vilitate conuenit; generaliter nempe statutum est, quod in re communi prohibens non audiatur, si ejus plane interesse, non potest e).

§. 17. *Si debitor in concursu non sit*

Monitum illud ad eos praesertim pertinebit creditores, qui licet aperto constet se ex concursu excitato nil accepturos, tamen pacto remissorio, quo cuitari potest concursus, sese opponunt, quo saltim habeant, ut miser debitor ad incitas redactus, magis opprimatur et defatigetur. Suadent quidem cautelam, qua huic quorundam malignitati ac duritiae intempestivae occurri queat; ut nempe oblata a debitore cessione, creditores omnes iura sua discutiant et quantum refragantibus ex bonis pro rata debeatur, se parari et penes debitorem, suo periculo relinqui curent f). Sed, quod pace eorum, quibus haec via placet, dixerim, non possum a me impetrare, ut creditores et debitorem adjuutos putem. Prae- cedere enim debet eam viam sententia prioritatis, ex qua vnice de ordine creditorum constare potest. Haec vero a iudice dari nequit, nisi aliquo tempore post concursum motum et post tot erogatas expensas, ut nec debitori nec creditoribus reliquis con- sularur, qui magnum patiuntur decrementum intuitu massae inter ipsos diuidendae.

§. 18.

His ambagibus forsitan non opus erit. Recordemur nempe, iudicem esse moderatorem ac directorem processus; vi cuius offi- cii

e) A. DE LEYSER in meditationib. ad Pandectas specim. 118. m. 4.  
f) Sunt verba MEVII ad *Ius Lubecens.* L. 3. Tit. I. art. 13. n. 22. et in additionib. nr. 5.



cui ipsius est, temeritatem et dolum litigantium auertere et punire, quocumque possit modo. Hanc potestatem ad coercendum creditorem, qui sine omni ratione pacto remissorio vult contrariari, hoc modo extendendam nullus dubitauerim. Concedunt enim omnes, eam discussionem pertinere ad arbitrarias partes processus *g*). Sed in quantum re quæso iudex melius potest arbitrari, quam in inueniendis remediis, quibus calumnia inter partes coercetur? Nec spero fore ut quis objiciat, tunc cessare dispositionem iuris statutarii et rem ad sancita legum romanarum reduci, quæ secundum supra asserta creditores omnes compellunt, ad amplectendam voluntatem majoris partis, in incundo pacto remissorio. Nam manebit nihilominus inter vtrumque ius magna differentia. Ex tacita mente iuris statutarii circumspexit iudex non compellet, nisi creditores malignos, qui dissenso suo aliis quidem damnum inferunt, sibi autem prodesse non possunt. Ius commune vero et eum obligat creditorem, qui suum seruare potuisset, ut voluntati majorum æccedat. Illud dolum iusta persequitur seueritate; hoc non distinguit inter creditorem, qui bona fide suum habere intendit, et eum, qui aliis molestias inferre cupit.

## S. 19.

Inter eos creditores, quos articulus noster ab effectu pacti remissorii majoris partis eximit, non est distinguendum, an sint mercatores nec ne? uti nec in debitore ad hanc status diuersitatem respicere debemus. Quamuis enim extra dubitationis aleam positum sit, occasionem statuti commercium fuisse, ad cuius promotionem multa singularia alia fuerunt indulta, tamen cogitandum est, minus tuto ab occasione et introductione legis fieri conuersionem ad ejus dispositionem et extensionem. Verba, uti nunc quidem leguntur, generaliter sonant, deque obaerato debitore et creditoribus ejus agunt, nulla adhibita restrictione: *Würde einer* in

2) SIM. V. LEEVWEN in *Censur. Forens. Lib. 4. c. 45. nr. 6.*

*in Schulden verweist, mit seinen Creditoren sich vergleichen.* Vbi ergo lex non distinguit, nec nos distinguere oportet, et quia facillime fit, vt ab occasione admodum particulari generalis constitutio promaneat, rectum erit, iuris romani dispositionem generaliter conceptam, eodem modo ex statuto generaliter abrogare eamque ad aequitatis regulas reuocare.

## §. 20.

Nulli ergo creditores dolo vacantes pacto liberatorio reliquorum vnquam tenentur. Et sciendum est, ne quidem temporis diuersitatem, quo pactum illud a caeteris tentatur, aliquid in ea re mutare posse. Proponitur enim vel ante sententiam classificatoriam, vel postquam haec in rem iudicatam dudum abiit. Hoc casu statuto opus non est, sed etiam leges romanae dissentientes non cogunt, ad vim pacti maioris partis in se agnoscendam, quia ius quaesitum e re iudicata natum, a nemine, nequidem principe, auferri debet, et lata sententia prioritatis quilibet creditor eo ordine quo semel positus est expectare tenetur, an et quantum e bonis debitoris olim sic consequuturus b)?

Quae cum ita sint, nec alia occasio remaneat, qua statutum in vsum deduci possit, recte concludimus, verba ejus explicanda esse, de altero casu, quo ante sententiam prioritatis pactum remissorium quibusdam creditoribus placet, reliquis autem displicet, eo scilicet effectu, vt hi, licet minorem constituent partem, tamen voluntatem maioris partis sequi non teneantur.

C 2

Qui-

b) Argumentis dissentientium satisfacit I. H. BOEHMER in *Diff. supra alleg.* §. 17. 18.

Nec haec rationes a natura rei iudicatae desumptae infringi possunt, per ea, quae in contrarium disputantur in DECISIONIBUS CASSELLANIS T. 2. dec. 172. nr. 22. et in *consiliis ac responsis FRATRVM BECMANNORVM T. 1. decif. 18. nr. 5. p. 272.*



Quibus accedit, quod usus statuti rarissimus esset, si illud ad casum, quo post sententiam prioritatis seu classificatoriam, remissio ex parte quota proponitur, restringere velles.

Plerumque enim fieri solet, quod creditores eam non exspectantes, statim post motum concursum immo ante actum liquidationis, pactum remissorium in eum euentum tentent, quo ii, qui nomina professi sunt, ea probare ac liquida reddere valeant.

§. 21.

Quae vero per articulum nostrum creditoribus concessa est facultas, non accedendi pacto remissorio majoris partis, haud impedire debet reliquos creditores, quo minus omnibus fruantur commodis, omnibusque emolumentis, quae ex pacto remissorio, quod optant, forsan sperare poterunt.

Itaque dissensu vere interueniente, separentur in quouis ordine creditorum ii, quibus placet remissio concedenda, ab aliis, qui dissentiunt. Tunc facile constabit, quantum remissione non facta, ad hos peruenire potuit, et quantum illi sint habituri, qui remissioni annuerunt.

Hoc in vna classe obseruato, ordo tanget alteram, in qua reperitur idem modus procedendi, donec adsunt classes inque eis creditores, quibus, vt aliquid accipiant, sufficiunt massa concursus atque debitoris patrimonium. Sic eueniet, vt nemini e libertate naturali, liberone iuris quaesiti exercitio, aliquid decrescas; sed neque remissionem debitori indulgentes habebunt, de quo queri possint, neque dissentientes a facultate per statutum ipsis indulta, vlla ratione excluduntur.

§. 22.

Gravis nec satis, vt mihi videtur enodata quaestio, hac occasione oriri potest: an nempe, et quatenus creditor, qui pacto remissorio

remissorio caeterorum non accessit, ius suum aduersus debitorem obacratum in illis bonis persequi possit, quae hic ex misericordia et beneuolentia creditorum remittentium acquisiuit? Sunt, qui eam generaliter esse affirmandam censuerunt, et creditorem nullo modo impediendum putarunt, quo minus omnia, quae apud suum reperiantur debitorem, quamdiu ipsi nondum est satisfactum, executioni mandet et iudicem, ut manus auxiliatrices ea in re praebear, implorare possit.

Et verum est, ea, quae ab humanioribus creditoribus remissa sunt, eodem iure ad patrimonium debitoris referenda esse, quo omnes donationes aliae ab omnibus eo referuntur. His accedit, debitorem ad beneficium cessionis bonorum admissum, quoties ad meliorem ascendit fortunam, omnino conueniri posse, ut, quod aeris alieni superest, soluat, in eumque finem, saluo competentiae beneficio, impendat, quae postea sibi acquisiuit. *L. 4. 7. ff. de cessionis bonorum.*

Haec principia *MEVIUM* i) forsan impulerunt, qui huic opinioni calculum suam adiciendum putauit, et ab illa hunc modum eximit casum, quo id, quod remittitur, quantitatem alimentorum haud superat, et solius misericordiae causa debitori obacrato aliquid remittitur, quam exceptionem ex *L. 6. ff. de cession. bonor.* nec non ex natura beneficii competentiae his, qui bonis cesserunt, dato probare ac confirmare, omnem mouet lapidem.

## §. 23.

Quamuis vero lubenter *MEVIUM* concedam, hac ratione debitori consuli posse, eique alimenta certissime ex quantitate remissa manere debere; tamen equidem res ejus meliorem in modum componi posse conuictus sum. Sic enim argumentor: Quoties dubium ortum, an creditores, qui ad pactum remissorium non accesserunt, executionem petere queant in ea, quae ex remissione

C 3

reliquo.

i) ad *Ius Lucrens.* l. c. n. 21. 22.

reliquorum debitor accipit, sermo est vel de eo tempore, quo remissio ipso actu indulgetur, vel de eo, quo post aliquod interualum ad meliorem ascendit fortunam. In primo casu nulla remanebit dubitatio. Nam confusio nondum adest et separari potest, quod debitor ex munificentia creditorum, qui hanc suae donationi scribere possunt legem immo tacite eam scripsere, ne, quod ipsi remittunt, ab aliis eripiatur, tenet, a bonis, quae ad eum ab initio pertinuerunt. Nec infertur creditoribus vlla iniuria, qui potius ius, quod olim habuerunt, retinere et cum omni effectu exercere non impediuntur. Habeo in hac argumentatione contententem ipsum D. MEVIUM *k*), qui alio loco, *inuidum* inquit, *ac malignum foret, indignari aliquid tributum aliorum benevolentia, quod inuidentibus nil profecturum, per inuidiam vero decessurum miseris.*

Alterum casum quod attinet, negari quidem non potest, debitorem recte conueniri, simulac largior fortuna ipsi aduiderit, et omnibus suis creditoribus nondum est satisfactum; sed etiam cogitari debet, 1) eum omnibus bonis per viam executionis non esse priuandum, quoties libido creditorum id tulit, vel quoties non nisi paruum ac leue augmentum bonorum recuperauit, sed ab arbitrio boni prudentisque iudicis determinari oportere, quando fortuna ejus ad talem ascenderit gradum, vt permittente aequitate id fieri possit. — Sciendum est 2) debitori, cui animus est satisfacere creditoribus, tunc non esse denegandum beneficium competentiae, eum vero haud obligari, omnia, quae recuperauit, creditoribus relinquere inhiantibus.

Ex his simul sumtis positionibus concluditur, creditores tunc demum conuenire posse debitorem, cum bona ejus in aliqualem modum aucta fuerint, eumque retinere posse alimenta vitaeque necessaria, non ex illis bonis, quae remissione quorundam accepit, quippe quae constituunt accidentale luendum, et separatam retinent, quam

*k*) in tract. *leuamin. inopiae debitorum* c. 3. n. 202. et *praeceptue* c. 8. n. 97.



quam semel habuerunt, naturam, sed ex illis, quae sua sunt in  
 significato proprio, et quae post factam cessionem ipse recuperavit,  
 non. Nulla tunc fieri potest condemnatio, quae intacta et salua  
 non relinquit bona ex liberalitate aliorum creditorum profecta,  
 ab his, quae tanquam substantia ipsius debitoris considerari possunt.

§. 24.

Vidimus in §. §. antecedentibus leges patrias iusto rigore per-  
 sequi debitores morosos, dum pactum majoris partis, quod ex  
 iure communi admodum favorabile ipsis erat, subuerteret; hic  
 vero rigor non est eo extendendus, ut quoad reliqua beneficia,  
 quae debitori passim indulgentur, similem abrogationem statua-  
 mus. Id sane inhumanum foret ac sapientiae legislatoriae, quae  
 in statutis ubique deprehenditur, minus conueniret.

Intacta immutataque manserunt omnia, quae miseris ejus-  
 modi hominibus data, sunt beneficia ac media emergendi se ex  
 malis.

Confugere ipsis licet, ad flebile cessionis beneficium, modo  
 hoc digni reperiantur; Patet beneficium competentiae, et si quae  
 sunt alia beneficia ac iura, legibus et moribus ipsis concessa.

§. 25.

Eandem aequitatem, quam immutando leges romanas circa  
 pactum praedictum, sequitur ius lubecense, alia quoque agnoue-  
 runt statuta, eorum praesertim locorum, quae commercii fauent  
 eaque promouendi simili agitantur cura. Sic dissentientes credi-  
 tores minoris partis a necessitate accedendi sententiae majoris par-  
 tis eorum, qui crediti quotam remittere parati sunt, eximerunt  
*Statutum Hamburgense* P. I. Tit. 43. art. 9. 10. nec non statu-  
 tum *Norimbergense* l) Interim non licet cum GROEWEGEN m),  
 aliis-

l) s. STRYK in *Vsu moderno Pandectar.* Tit. de pactis §. II.  
 m) in *tractat. de legibus abrogatis ad L. 8. ff. de pactis.*



aliisque Doctoribus, concludere, pactum nostrum, vti in iure romano continetur, hodie in vsu non esse, et praesumptionem contra illud esse capiendam. Nam dictum pactum constituit partem iuris communis priuati indubitata, et continet casum quotidie in foris nostris occurrentem, ergo contrarium verius est, et creditores dissentientes tam diu tenentur accedere sententiae maioris partis, donec ostenderint, lege aut particulari aut moribus exceptionem factam eosque liberatos esse ab hac necessitate *n*).

Dantur adeo prouinciae, in quibus expresse receptum est ius romanum, eademque reperita est necessitas accedendi placitis maioris partis; ex his exempli gratia allegari potest, in Saxonia electorali, *constitutio prouincialis, von Banquerrutirern* §. 16. et *Ius statutarium Lipsiense in ordinatione mercatoria Tit. 23. §. 25*. Tunc quidem omnis cessat dubitatio, nec temere quis negabit vsum hodiernum earum legum. Sed, licet non adsint constitutiones confirmatoriae, generalis tamen receptio iuris romani postulat, vt propter solum defectum iuris contrarii domestici, sententias conformiter illi feramus.


*n*) Idem adfirmant DECISIONES CASSELL. T. 2. dec. 172. nr. 15, 16. FREYER de solut. c. 9. nr. 21.

pag. 2. lin. 3. in fine pro 17. leg. 7. simili modo pag. 4. lin. 2. et pag. 6. lin. 3. in fine.

Jena, Diss., 1778-84  
X 230 94 55







DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
ACTO REMISSORIO  
QVOAD  
CREDITOREM NON CONSENTIENTEM  
AD  
*Art. 13. Tit. I. Lib. 3. Statut. Lvbecensf.*

~~1784~~ 1784, 3

15

265

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE,  
QVESTPHALIAE ETC.

VICTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE  
CONSEQVENDIS  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
D. X. APR. MDCCCLXXXIIII.

SVBIICIET  
AVLVVS CHRISTIANVS NICOLAVS LEMBKE  
LVBECENSIS.

IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSIANA.